e-codices

est, quia iustus intrare consueuit dicens: Aperite mihi portas iusticie, et ingres-
sus in eas confitebor domino. Sed ut porte mortis porte inferi, ita et porta
iusticie dei porta est. Hec enim porta domini, iusti introibunt per eam. Et
ideo fuge pertinaciam delictorum, ne porte te possint inferi preualere.
Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta preualuit. Fuge
ergo contentiones et dissensiones, strepitus tumultusque discordie, ne per
portas mortis ingressus incurras. XXXVIII.

Dominus enim hic Christus predicari se primo noluit, ne ullus strepitus
nasceretur. Increpat enim discipulos suos ne cui hec dicerent,
quod oporteret filium hominis multa pati et reprobari a principi-
bus sacerdotum et senioribus et scribis et occidi et die tercio resurgere. Et
fortasse ideo hoc addidit, quia sciebat dominus difficile passioni et resur-
rectioni discipulos credituros, ideo passionis et resurrectionis sue
assertorem se esse maluit, ut ex facto fides non ex auditu discordia na-
sceretur. Ergo Christus noluit gloriari, sed maluit ignobilis uideri, ut pas-
sionem subiret; et tu qui ignobilis natus es gloriaris? Ea de te qua Christus ambu-
lauit gradiendum est uia. Hec est agnitio, hec est imitatio per ignobi-
litatem et bonam famam, ut glorieris in cruce domini, sicut ipse est gloriatus.
Sic ambulauit Paulus, et ideo gloriatur dicens: mihi autem absit gloriari nisi in cru-
ce domini nostri Iesu Christi. Sed uideamus cur secundum Mattheum repperiamus admo-
nitos discipulos ne cui dicerent quod ipse sit Christus, hic autem scriptum sit in-
crepatos esse ne cui dicerent quod esset multa passurus et resurrectu-
rus. Uidetis quod in uno Christi nomine omnia sint. Ipse est enim Christus qui na-
tus ex uirgine, ipse est qui mirabilia fecit in populo, ipse qui mortuus est
pro peccatis nostris et resurrexit a mortuis. Unum horum si retraxeris,
retraxisti salutem tuam. Nam et heretici habere se Christum uidentur. Ne-
mo enim Christi nomen negat, sed negat Christum, qui non omnia que Christi sunt confite-
tur. Multis igitur ex causis iubet tacere discipulos: ut fallat principem
mundi, ut declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne
rudes et imperfecti adhuc discipuli maxime predicationis molibus

Licenza: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 183 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/it/sbe/0166/183)